



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Nucleus Juris Canonici**

**Thenhaven, Bernhard**

**Coloniæ Agrippinæ, 1739**

Approbationes Theologorum Ordinis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63382](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63382)



## APPROBATIONES THEOLOGORUM ORDINIS.

EX Commissione speciali Reverendissimi Patris Commissarii Generalis Nationis Germano-Belgicae Ego infra-scriptus attentè legi librum, cui Titulus: NUCLEUS JURIS CANONICI, &c. à R. A. Patre BERNARDINO THENHAVEN, SS. Theologiae Lectore Jubilato & Provinciae Saxoniae S. Crucis Ordinis Fratrum Minorum Strictioris Observantiae Ex Ministro Provinciali ac Patre perpetuo solidè ac doctè compositum, & in veritate reperi, quòd Liber iste, universi Juris Pontificii apprimè sapidus palato Canonico Nucleus sit, ita ex Quinque GREGORII IX. ac SEXTO BONIFACII VIII. Decretalium Libris, Clementinis, Extravagantibus JOANNIS XXII. ac Communibus exegeticè non minùs quàm industriosè ac laboriosè decorticatus, ut Juris Sacri Professoribus aequè ac Novellis ejusdem Juris Candidatis, ad Jus Pontificium intra certos temporis limites seu docendum, seu discendum destinatis, prodesse respectivè cum multa utilitate valeat; dignum proinde censeo, cum præter doctrinae claritatem ac soliditatem nihil contineat nisi orthodoxae Religionis principiis, morum Regulis ac S. Matris Ecclesiae Sanctionibus omnino conforme, ut in lucem publicam pro commodo plurimorum Typi beneficiò quantocyùs prodeat. Dabam ex nostro Conventu Monasteriensi ad S. Antonium Paduanum, die 16. Maji, 1738.

*F. Beda Wiederholt, SS. Theol. Lector Jubilatus, ejusdem Ordinis ac Provinciae Ex-Minister Provincialis ac Pater perpetuus, Diocesis Monasteriensis Examinator Synodalis, imp.*



**L**iber, cui Titulus: NUCLEUS JURIS CANONICI, &c. à Reverendo Adm. Patre BERNARDINO THENHAVEN, SS. Theologiæ Lectore Jubilato & Provinciæ Saxonix S. Crucis Ordinis Fratrum Minorum Strictioris Observantiæ Ex - Ministro Provinciali ac Patre perpetuo mirâ eruditione compositus, à Nobis infra scriptis ex speciali commissione attentè relectus, præterquam quòd sanam, Fideique orthodoxæ ac morum Regulis omnino consonam doctrinam contineat, universum Jus Pontificium tali suavitate styli ac dilucidâ brevitate complectitur; ut sicut Nucleus Theologiæ Moralis ab eodem Reverendo Adm. Patre enucleatus, ac jam secundò per Typum communicatus ob suam claræ solidæque doctrinæ dulcedinem omnium Theologorum palato sapidissimus & exoptatus fuit, non minùs hunc Juris Canonici Nucleum ejusdem Juris tum Professorum, tum Candidatorum gustui placituum confidamus; dignissimum proinde censemus, ut in plurimorum utilitatem publici juris fiat. Datum Paderbornæ, in Conventu Nostro Fratrum Minorum Strictioris Observantiæ, Anno 1738. die 26. Maji.

*Fr. Theodosius Wessels, SS. Theol.  
Lector & Examinator Synod.  
m. p.*

*Fr. Apollinaris Duffhus, SS. Theologia  
Lector & Examinator Synodalis. m. p.*